

F. I. N. J. S.

DISSERTATIONIS ACADEMICÆ,  
DE

PAPISMO  
PAGANIZANTE,

PARS PRIOR; *Quant. jurid.*

QUAM,

*Ex suffragio Ampliss. Senatus Philosoph.*  
*Regiæ Academiæ Upsaliensis,*

PRÆSIDE,

*VIRO Admod. Rever. & Celeberrimo,*

Mag. ERICO

ALSTRIN,

Log. & Metaph. PROF. Reg. & Ord.

*In Audit. Gust. Maj. die XXIII. Decemb.*

*An. M D C C XXVIII.*

*Placide Eruditorum disquisitioni*  
*submittit*

JACOBUS WINGE,

WESTRO-GOTHUS.

---

UPSALIÆ, Literis WERNERIANIS.

*J. Julin*

S:æ R:æ M:tis  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
*Reverendissimo* DOMINO,  
**DN. ERICO**  
**BENZELIO,**  
S. Theol. DOCTORI  
Celeberrimo,  
Inclutæ Diœceseos Gothoburgensis  
**EPISCOPO**  
Eminentissimo,  
Ven. Consistorii *PRÆSIDI*  
Gravissimo,  
Gymn. & Scholarum per Diœcesin  
*EPHORO* Adcuratissimo.  
**MÆCENATI MAGNO.**

**N** *E succenseas mihi, Reve-*  
*rendissime EPISCOPE,*  
*humillime rogo, quod*  
*exiles hæc pagellæ, in tanta negotiorum*  
*mole,*

mole, quæ Te indies distractum tenent, conspectum Tuum Summe Venerabilem ausæ sint subire. Tuus autem in Literarum Cultores maximus favor, Tuæque facilitas & benevolentia summa, qua me, etsi immerentem, amplecti dignatus eras, cum Camæna nostræ Upsalienses, de tam Grandi Decore, ut es, sibi in sinu gratularentur; facilem pollicetur iis accessum. Accipe itaque queso, Reverendissime Præsul, fronte, qua soles, serena, qualecunque hoc specimen Academicum; & quemadmodum pro eo, quo es, Sancto Zelo, Papisimum Paganizantem non potes non summopere detestari, ita me, qui inter ejus osiores meum quoque tenue nomen profiteor, Tuo exoptatissimo patrocinio erige & refocilla. Meum erit, pro perenni incolumitate Tua, calentia ad DEum nuncupare vota, ut Ecclesia ejus, quam diutissime, fulcrum in Te habeat longe firmissimum.

REVERENDISS. NOMINIS TUI

cliens & cultor humillimus

JACOBUS WINGE.

*Admodum Rever. atque Amplissimo*  
DOMINO,

Mag. ANDREÆ  
UNGE,

*Dioeces. Skarenf. Archi-Præposito,*  
*Longe Meritissimo, Consist. Adfess.*  
*Prim. Patrono, quovis honoris*  
*cultu semper prosequendo.*

*Admod. Rever. ac Præclarissimo*  
DOMINO,

Mag. JONÆ  
SIDRENIO,

*InGymnas. Skarenf. S. Theol. Lectori*  
*Dexterrimo, Past. & Præpos. in*  
*Wit-Riöl Vigilantiss. Benefactori*  
*ut cetissimo, ita venerabunda*  
*mente suspiciendo.*

*Admod. Rever. nec non Præclarissimo*  
DOMINO,

Mag. ANDREÆ  
SILVIO,

*Past. & Præpos. Dalensium Optime*  
*merito; Avunculo, ut unico, Optimo,*  
*ita nullo non tempore*  
*observando.*

*Admod. Rever. Praclarissimoque*  
DOMINO,

Mag. MICHAELI  
HERMONIO,

Designato *Past. Eccles. quæ Stockh.*  
*in Ladugårds-Landet Christo colligi-*  
*tur, Meritissimo, Consist. Adsej. Gra-*  
*viss. Patrono, singulariter colendo.*

*Admod. Rever. & Praclarissimo*  
DOMINO,

Mag. HARALDO  
ULLENIO,

In *Timelhed Præpos. & Past. dignis-*  
*simo; Avunculi loco*  
*devenerando.*

*Plur. Rever. atque Clarissimo*  
DOMINO,

Dn. STEPHANO  
HELSTADIO,

*Ecclesiæ Helstadenſis Pastori vigi-*  
*lantissimo; Affini suo Seniori, ob pla-*  
*ne Paterna beneficia, ad cineres*  
*usque colendo.*

**S**isto quoq; Vobis, Ecclesia Evan-  
gelica Doctores & Pracones  
Laudatissimi, mei Patroni & Be-  
nefactores optimi, propensissimi,  
Papismum Paganizantem: sed  
ita sisto, ut particulam tan-  
tum heic videatis, quam, ut, pro sin-  
gulis Vestris in me meritis, benigne  
accipiatis, est, quod humillime con-  
tendo. Cetera vero, quae restant,  
& forsitan majoris sunt momenti  
in posterum expectabitis, si DEUS  
vitam, & mitiorem concesserit  
fortunam. Interea favete

Admod. Rever, & Praeclariss.  
Nominum Vestrorum

affiduo cultori  
JACOBO WINGE



A. Kai Ω.

## PRÆFATIO.



Aferrimus ille *μυ-  
ριοτεχνίτης*, homine  
in hæc præcipitia  
adducto, ut per-  
versum de Deo ad-  
mitteret sensum, IDOLOMANIAM  
inter posteros Adami erigi fecit,  
idque successu, proh dolor!, non  
exiguo, ut Sacræ testantur Pande-  
ctæ. Quod virus sic dispersum, in-  
tra aliquot annorum spatia totum  
fere vitiavit orbem. Circa initia  
N. T. sublatus quidem & extir-  
patus multis in locis est cultus I-  
dolorum per prædicationem Evan-  
gelii:

A

gelii:

gellii: Verum filius perditionis, Romanum innuo Pontificem, ex orco eum in scenam iterum produxit. Hinc, puriore Doctrina fidei tenebris involuta densissimis, & Ritibus Sacris in vanas superstitiones commutatis, *Papanos* cum *Paganis* paria in plurimis & sentire & facere, quis dubitet asserere? Non hic loquar mores *Paganorum*, pariter ac *Papistarum*, sæpe sub speciosa pietatis larva latitantes, spurcissimos: non exponam sævas *Papicolarum* inquisitiones, quæ persecutionibus a *Paganis* institutis prorsus parallelæ sunt: nec finem religionis utriusq; tangam, quod & *Pagani* & *Papistæ* religione pro instrumento quodam dominandi, & ratione status, ut loqui amant Politici, fuerint abusi. Id, Divino auspicio, ostendere conabor, inter *Papismum* & *Paganismum*, in Dogmatibus & Ritibus, magnam intercedere similitudinem. Neque tamen promittere



PAGANIZANTE.

3

tere audeo, me omnia allaturum, quæ de Nobili hoc argumento adferri possent. Nam, per singula, quæ huc faciunt, si irem, opus superaret vires. Tuum itaque B. L. efflagito candorem, velis tentamini qualicunque benigne favere.

CAPUT PRIMUM,

*Ostendens Papismum Paganizare ratione Dogmatum.*

§. I.

*Ἐτυμολογία indagatur.*

**C**eterum, quum nomina sint rerum ὀνόματα, e re esse arbitrator, in Ἐτυμολογίαν vocum, in titulo Dissert. Nostræ comparentium, paucis inquirere. Derivatur idcirco *Papismus* ab auctore illius, Papa Romano: differt autem a *Papatu*, ut adjunctum a subjecto. *Papatus* ipsum cœtum, qui *Papismum*,  
A 2
seu

## 4 DE PAPISMO

seu Doctrinam *Pape* profitetur, significat. *Paganus* non idem semper apud Scriptores denotat, sed variè apud varios accipitur. Nobis denotat hominem a sacris Christianorum alienum, & superstitionibus Idololatricis addictum. Synonyma ejus sunt, apud Scriptores Christianos: Ethnicus & Gentilis. Reliqua, quæ desiderantur circa Nominis explanationem, suppleri possunt ex Scrutinio Relig. Kromajeri, Dorsch. Relig. Scrupel / alisque. Nos vero, imperatæ brevitatis memores, dicimus tantummodo, *Paganizare* nobis idem esse ac *Paganos* imitari, seu eorum esse similem. ideoque per *Papismum Paganizantem* intelligimus convenientiam inter *Papistas* & *Paganos*, ratione Dogmatum & Rituum sacrorum.

## §. II.

*Papismus Paganizans, ratione fundamenti, exponitur.*

**F**undamentum, cui suam religionem

PAGANIZANTE. 5

gionem, sua dogmata, suos ritus superstruxerunt *Ethnici*, non simplex, sed multiplex fuit. Fuerunt, præter rationem non ubique sanam, *traditiones*, atque fictæ & falsæ *revelationes*; utpote varia divinationum genera, oracula, vaticinia Sibyllarum, apparitiones, ostenta atque prodigia varia, quibus callidissimus infernalis genius in promovendo cultu Idololatræ usus est. Vere itaque Buddeus: *Nec dubium, quin ista dogmatum portentata, quæ passim apud veteres occurrunt, sub revelationum divinarum specie protulerit (diabolus) a*. Annon autem *Papani* hujuscemodi *traditionibus*, atque falsis *revelationibus & miraculis* nituntur, ut *Paganis* quam simillimi sint, planeque gemelli? Annon hoc modo Dogmata pariter & Ritus in Ecclesiam Romanam irrepsert? Certe, tot aniles fabulæ, seu traditiones, tot

A 3 cœlitus.

a) *Theol. Dog. lib. 1. cap. 2.*

cœlitus delapsæ voces , tot appa-  
 ritiones Sanctorum demortuorum,  
 ibidem venditantur, ut nusquam  
 magis. Nam , sicuti Numa Pom-  
 pilius, religionem fundaturus, per  
 congressus nocturnos Ægeriam De-  
 am consuluisse narratur *b*): sic ja-  
 ctitant *Romanistæ*, foundationem cul-  
 tus Lauretani monitu Mariæ *Θεο-*  
*τόυς* sæpius apparentis factam *c*):  
 jactitant , tempus assumptionis Ma-  
 riæ nesciri sine revelationibus *d*).  
 Et quis adeo hospes est in Livio,  
 Dionysio Halicarnasseo , aliisque  
 rerum Romanarum scriptoribus ,  
 ut nesciat prodigia illa, quibus to-  
 tus Ethnicismus scatebat? Talia  
 autem in Papatu venditari, locu-  
 pletes testes sunt modo laudatus  
 Tursellinus , Polydorus Vergilius  
 in libro de *Inventoribus rerum* , nec  
 non

*b) Liv. lib. I. cap. 18. p. m. 16. c)*  
*vid. omnino Tursellini Historia Laure-*  
*tana. d) Baronius annal. Eccles. anno*  
*48 §. 4.*

non Becanus, omnes Pontificiæ  
 Religioni addicti; quorum postre-  
 mus ita hac de re loquitur: Cur  
 in Iaponia fiant plura miracula,  
 quam in Europa, causa in prom-  
 tu est. In Japonia fides Christi  
 nunc primum prædicatur, & ideo  
 pro ejus confirmatione opus est  
 miraculis. In Europa pridem præ-  
 dicata & recepta est, nec indiget  
 nova confirmatione. At dicet a-  
 liquis. Si Jesuitæ facerent hic  
 miracula, sicut in Japonia fa-  
 ciunt, Lutherani & Calvinistæ  
 crederent illis. Ego ê contrario  
 dico; ideo Jesuitas hic non facere  
 miracula, sicut in Japonia faci-  
 unt, quia Lutherani & Calvinistæ  
 non volunt credere illis. Dicebant  
 olim Pharisei Christo; quanta  
 audivimus facta in Capharna-  
 um: fac & hic in patria tua. An  
 fuissent illi credituri, si fecisset?  
 Nullo modo, ideo ait scriptura:  
 & non poterat ibi virtutem ul-  
 lam

„Iam facere propter incredulitatem eorum e). Quibus imprudentum oculi misere fascinantur, ut *Papatum* nolint deserere, sed sic exornatis superstitionibus libenter applaudant. Quod etiam vaticinatus est *Salvator Noster*: ἐγερθήσονται γὰρ ψευδέχριστοι καὶ ψευδοπροφήται, καὶ δώσουσι σημεῖα μεγάλα, καὶ τέρατα ὥστε πλανῆσαι, εἰ δυνατόν, καὶ τὰς ἐκλεκτὰς f): *Vaticinatus est Apostolus*

*Paulus*: καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος, & paucis interjectis, οὗ ἐστὶν ἡ παρυσία κατ' ἐνέργειαν τῆς σατανᾶ, ἐν πάσῃ δυνάμει, καὶ σημεῖοις, καὶ τέρασι ψευδῶς, καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας, &c g) *Etiam Johannes in Apocalypsi*: καὶ ποιῶ (τὸ θηρίον) σημεῖα μεγάλα, ἵνα καὶ πῦρ ποιῆ καταβαινεῖν ἐκ τῆς οὐρανῆς εἰς τὴν γῆν, ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων, καὶ πλανᾷ τὰς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς, &c.

b). *Ecce fundamentum Pontificiæ*  
reli-

e) *Lib de Anti Christo Res. c. 9. T. II. p. 191.* f) *Matth. 24. vers. 24.* g) *2. Thess. 2. v. 8. 9, 10.* h) *Apoc. 13. v. 13. 14.*

religionis ! Sed non tam de doctrina ex miraculis, quam de his ex illa judicandum censent Theologi. Hoc loco non possum præterire aliam inter Papistas & Paganos convenientiam. Quemadmodum enim nemini ex *Paganis*, præter solos Duumviros primum, deinde Decemviros, & postremo XV viros, libros Sibyllinos inspicere licebat, ut tradunt Historici *i*). Sic *Papicolarum* Laici, seu profani homines, a Sacrorum Bibliorum lectione plerumque arcentur. Hinc, in indice librorum prohibitorum Romæ 1559. impresso Sacra Biblia etiam nominantur *k*). Illi arguebant S. Sacram falsitatis, nulliusque ponderis, teste Lactantio *l*): hi literam mortuam & ce-

A 5 reum

*i*) *conf. Dion. Halic. Antiq. Rom. lib. 4. c. 70. & Tit. Liv. lib. 5. c. 13. 21. c. 62.*  
*k*) *videsit Ernest. Salom. Cypriani Hilar. Evang. Vorbericht cap. 3. pag. 32. l*) *lib. 5 Instit. cap. 2.*

reum nasum blasphemæ pronunciare non verentur. Ulteriorem hac in re comparationem instituire nec vacat, nec opus est: nam, ex his paucis liquere arbitramur, *Pontificios Paganizare* etiam in sensu de Sacro Codice.

§. III.

*Quod Papismus Paganizet multiplicando Objecta adorationis, indicatur.*

Quamquam *Papistæ* saniora altioraque præ *Gentilibus* sapiant, statuendo & confitendo DEum essentia unum, Personis Trinum; quæ „aut nescivere *Gentes*, aut male sci-  
„vere, & velut quidam errore in  
„portum, ita in veritatem illæ de-  
„latae sunt *m)*: tamen cum *Papæi* tot Divos Divasque præter Summum Numen adorandos esse contendant, plane *Paganizant*. Sicut enim in *Paganismo* non omnibus  
falsis

*m) vid. Buchneri Oratio 2. Literaria, pag. 699.*



falsis numinibus idem nomen, idem ordo, eademque operatio assignata; ita nec in *Papatu* simplex & unum numero, ordine, virtute & operatione est *σέβασμα*. Ordinis hujus diversitatem peperit falsa opinio de divinæ potentia, & Divini honoris inæquali participatione, & Divinorum operum distributione inter plures. Annon ab eodem fonte promanavit *Gentilis* idololatria? Nec est, quod dicant; non æqualiter cum DEO operari sanctos, sed horum meritis aperiri portam misericordiæ Divinæ: Deumque adorari ut principium summum bonorum, Sanctos vero ut ministros gratiæ. Nam simili modo senserunt *Gentiles* de Jove supremo & satellitio ejus. Neque enim adeo delirabant, ut, facta Deorum pluralitate, simul adstruerent eorum æqualitatem, quod fuisset contradictorium. Manifestum itaque est *Gentilis* Idololatriæ

triæ vestigia premere Pontificiam religionem: nisi in hoc dissimilitudo sit, quod *Gentiles* omne adorationis suæ objectum vocarint numen, *Pontificii* vero beatos, quos colunt, *Sanctorum* nomine compellent. Sed tamen & eosdem *Divos Divasque* appellant, prorsus ad imitationem *Paganorum*; sicque æmulantur Ethnicam superstitionem etiam ratione nominum. Imo *Deos per participationem* nuncupat ipse Bellarminus *n*). Ceterum, putaret aliquis, nos nimio rigore, taxare *Pontificios*, dum eos crassæ *Idololatriæ Paganicæ* reos facimus; cum tamen nomen Christianum, quod præ se ferunt, hoc crimine eos absolvere videatur. Sed ipsa praxis eorum satis superque ostendit, nullam illis hac in re a nobis fieri injuriam. Et fatentur quidam ex ipsis *Pontificiis*, religiosum istum cultum, quem suis *Divis* præstant

*n) Lib. 3. de Sanct. cultu cap. 9.*

stant, nihil differre a Gentili Idololatria. Sic enim loquitur Ludovicus Vives o): *Multi Christiani in re bona plerumque peccant, qui Divos, Divasque non aliter venerantur, quam DEum. Nec video in multis, quod sit discrimen, inter eorum opinionem de sanctis, & id quod Gentiles putabant de suis Diis.* Huic ingenuæ confessioni addimus testimonium cujusdam Nostratum elegantissimum p): a crassiori ista idololatria nostra ætate parum alieni sunt Pontificii, ob cultum religiosum, quem Mariæ, sanctis, eorum reliquiis, imaginibus, & cruci deferunt. Enim vero in quamcunque severtant partem, quocunque etiam modo excusare istam Idololatriam velint, quibuscunque etiam utantur distinctionibus; res ipsa docet, & experientia quotidiana, quod

o) *Comment. in August. lib. 8. de civ. Dei cap. 27. p. 818. p) Budd. Theol. Moral. part. 2. cap. 3. sect. 1. parag. 79.*

quod cultus, quem ejusmodi rebus exhibent, religiosus sit, & turpissimæ idololatriæ rei pergantur. Omnia, quæ hactenus dicta & probata sunt de Idololatria Papistica, possunt adhuc clariora reddi, si diversæ ejus species in lucem protrahantur, cumque Paganis conferantur. Quod a nobis fiet quam brevissime.

## §. IV.

*Papismus circa Papolatriam Paganizans delineatur.*

**P**Apam ubique crepat *Papismus*, eumque tanquam Vice-Deum veneratur. Hinc, sive nomina, quorum prolixum Catalogum Abrah. Bzovius in peculiari libro de Pontifice Romano recenset, sive attributa, sive operationes, sive totum adorationis cultum conferas cum supremo illo honore, potestate atque virtute, olim a Gentilibus summo adscripta Pontifici,

Syn

Syncretismum *Papismi* & *Paganismi* habebis egregium. Summus enim Gentilium Sacerdos dictus fuit *Pontifex Maximus*, eique tribuebatur summa potentia, ne dicam omnipotentia: scilicet, ut haberet jus atque fas in sacris & profanis pro lubitu dominandi; utpote magistratum civilem abrogandi atque constituendi, res Ecclesiasticas mutandi, aut addendi, in Sacrilegōs animadvertendi, ut alia præteream. Immunis quoque esset ab omni pœna, nec tenebatur cuiquam rationem reddere q). Nonne hæc singula in Papam Romanum quam optime quadrant? Nam, nudo titulo non contentus, arrogat sibi potentiam & honorem prorsus divinum. Potestatem Papæ hisce verbis exponit Nicolaus Eymundanus, & ipse Pontificius, apud J. Balæum de Vita Pontif. Clem. VIII. *Papa est omnium rerum, cælestium*

q) *vid. Dionys. Halicarn. lib. 2. c. 75.*

*stium & subterraneorum dominus, & habet Imperium in Angelos & Demones r) : nec non Calvinianus Naogeorgus, ex mente Pontificiorum, sequentibus versiculis s)*

*Illius in dextra cælum est æterna-  
que vita,*

*Dat cui vult, cui vult adimit, clau-  
ditque vicissim.*

*Et terrena regit summo moderamine  
cuncta,*

*Legibus atque minis infernam ter-  
ritat aulam:*

*Ut sic tota triplex quassetur ma-  
china mundi*

*Ejus in arbitrio. - - - -*

Et sicut hunc Vice-Deum, ut loqui  
amant, faciunt parasiti isti ab omni errore liberum, cum pro Cathedra definiat; ita quoque, perinde ac summus Pontifex Gentilium, in iudicium trahi nequit. Ma-  
xime

*r) vid. Wilhelm. Lyser. Dissert. de Pontif. Idolol. pag. 67. s) Lib. i. Regni Papistici.*

xime vero conspicuus est cultus religiosus Pontificis Romani, seu *Papolatria*, cum appropinquantes huic Idolo proni in terram, venerationis ergo, decidant; mox leviter allevati osculo pedum invocent. quid Paganicum, quid Ethnicum est, si hoc non est? Nam sic *Gentiles* fana ingressuri, ad januam pedes Sacerdotum exosculabantur t).

## §. V.

*Papismus Paganizat, Angelos religiose colendo & invocando.*

**P**Apolatriæ proximam *Angelolatriam* ponimus. Fuerunt *Gentiles* in ea opinione, ut, peculiarem Genium in tutelam atque conseryationem, ab ipso puero, unicuique assignatum esse, pro certo haberent crederentque u).

B

Hoc

t) v. *Polyd. Vergil. lib. 4. cap. 13.*

u) *conf. Censorin. de die natali, cap. 3. pag. 16. 17*

Hoc quoque non obscuris verbis innuit Apulejus dicendo x): *Sunt quaedam divinae mediae potestates, inter summum aethera & infimas terras, in isto intersita aëris spatio, per quas & desideria nostra & merita ad Deos commeant. Has Græco nomine δαίμονας nuncupamus; inter terricolas caelicolasque vectores, hinc precum inde donorum; qui ultro citroque portant hinc petitiones, inde supplicia: ceu quidam utriusque interpretes & internuncii. Nonne eodem animo, eademque sententia sunt Pontificii, qui Angelo cuidam tutelari se totos devovent; eumque religiose adorandum statuunt.*

## §. VI.

*Mariam Virginem invocando Pontificii Paganizant.*

**A**ngelolatriam excipit Mariolat-  
 tria. Cultus religiosus, quem Pontificii B. Virgini Mariæ exhibent, perquam similis est ei quem  
 Paganis

*x Lib. de Deo Socrate n. 45.*



*Paganis* suæ Ἀρτέμιδι, sive Dianæ præstabant. Quemadmodum enim ἄρτεμις, δὸς, secundum Lexicographos, perfectam, integram & incorruptam virginem significat; ita non pudet *Mariolatrias*, Mariam immaculatam, omnisque peccati immunem pronunciare. Uti etiam varia templa & delubra, & unum altero splendidius, variis in locis Dianæ dicata erant x); sic hujus quoque moris imitatores esse & fuisse *Paganos*, tota fere Europa testatur. Porro, sicut *Ethnici* solo nomine, aut sola templorum structura non contenti, Dianam, tanquam apud Janum mediatricem invocabant: ita *Mariolatris*, non in eo subsistit, quod templa in religiosum cultum exstructa sint, aut exstruantur; sed Maria devote imploratur quoque, ut apud filium pro mortalibus intercedat. Hoc patet ex precum formulis: *Ave*

B 2

*Maria*

x) vid. Act. 19.

*Maria : Ora pro nobis. & sexcentis aliis. Ad Hagiolatram generalem antequam accedimus, nonnulla, ὡς ἐν παρόδῳ, circa ἀποθέωσιν sunt observanda.*

## §. VII.

*Ἀποθέωσι, sive Canonizatione defunctorum, Papiſmum Paganizare. ostenditur.*

**P**ost fata, inter Divos Divasq̄ referabantur Gentiles, qui sortis erant eminentioris, virtutumque splendore, & formæ elegantia conspicui: quive singularia beneficia in rem publicam contulerant. Sic Acca Laurentia, ob pecunias quæstu corporis comparatas, & populo Romano testamento datas in numerum Dearum relata dicitur y). En originem Deorum Dearumque Gentilium! His simillimi sunt Pontificii, penes quos etiam, haud pauci post mortem Divis sunt

y) vid. Rosin. de Antiquitatibus Rom, pag. 180.

PAGANIZANTE. 25

sunt annumerati. Hunc actum *Canonizationem*, imo & ἀποθέωσιν appellent. adeo & voce & re ipsa Paganos imitari non verentur. Cærimonias vero in Canonizatione observari solitas, heic sicco, quod ajunt, pede præterimus.

§. VIII.

*Papismus Paganizans, ratione Hagiolatriæ generalis, monstratur.*

**H**ic sane Pontificii mira similitudine exprimunt & imitantur superstitiones Gentilium, ut ex sequentibus testimoniis patebit. Variis morbis varios præficebant *Pagani* Deillos; similiter & *Papam*. Paganis in peste erat *Apollo*; in Comitiali *Hercules*; in partu *Lucina*; Papanis in peste *Deus* est, *Sebastianus* & *Rochus*; in febre *Petronella*; in veneno, *Johannes Evangelista* & *Benedictus*; in dolore dentium, *Apollonia*; in oculorum vitiis, *Ottilia*; in capitis dolore,

„re *Anastafius*; in epilepfia, *Valen-*  
 „*tinus*; in calculo, *Liberius*; in  
 „igne facro, *Antonius*; in morte  
 „Improvisa, *Marcus. Pagani* Deos  
 „tutelares habebant pecorum; fi-  
 „militer & *Papani*, numero tantum  
 „duos: fed hi plures; ovibus *Ven-*  
 „*delinum*; anferibus, *Gallum*; porcis  
 „*Antonium*; equis, *Evlogium*; bo-  
 „bus *Pelagium*; *Lupam* gallinis præ-  
 „ficiabant. *Pagani* frugibus certos  
 „Deafros præficiabant; fimiliter &  
 „*Papani*. Illi enim pani *Cererem*;  
 „vino *Bacchum*, & frugibus exco-  
 „quendis, *Apollinem* assignarunt:  
 „hi vero frugibus, *Jodocum*; vino  
 „autem *Urbanum* tribuerunt z) *Pa-*  
 „*gani* quemlibet hominum ftatum  
 „& ordinem certo Divo vel Divæ  
 „consecrabant, etiam abjectiffimos  
 „& infames: idem apud *Papanos* ob-  
 „tinet. Nam qui *Apollo* & *Æscula-*  
 „*pius* quondam medicis; hodie *Co-*  
 „*ffmas* & *Damianus*. Qui *Philofophis*  
 „ &  
 „ z) *vid. Program, B. Prof. Saalbachii.*

& literatis *Pœbus Minervaque*; hodie *Gregorius & Catharina* sunt. Pro *Vulcano*, jam fabri *Eulogium*, pro *Diana* venatores *Eustachium*, pro *Marte Bellonaque* milites *Gregorium* colunt & *Barbaram*. Et ne scortis quoque & illis publicarum libidinum victimis Deus desit, *Aphram & Magdalenam* venerantur hodie, ut olim *Venerem & Flo-ram*. Ignis cura *Afræ*, ut *Vestæ* olim; maris *Nicolao & Christophoro*, ut *Neptuno* quondam atque *Palemoni* demandata est a). Et veluti Pagani singulis regionibus atque provinciis Deos tutelares adscribebant; ita assignant Papæi unicuique Regno, urbi atque provinciæ suos patronos. Ut enim Eleusini, *Cererem*; Phryges, *Magnam matrem*; Græci, *Herculem*; Galli, *Mercurium*; Itali, *Romulum & Vestam*; Baby-

lonii, *Belum*; Martem Syrii; Dia-

B 4

nam

a) Buchnerus citato loco.

„nam Dauni coluerunt: sic Papani  
 „Germaniæ Martinum & Bonifaci-  
 „um; Hispaniæ, Jacobum; Pannoniæ,  
 „Ludovicum Regem; Galliæ, Diony-  
 „sium; Poloniæ Stanislaum; Hun-  
 „gariæ, Ladislaum; Coloniæ tres  
 „Magos; Peirum & Paulum, Ro-  
 „mæ; Venceslaum Bohemiæ; Ge-  
 „novevam Lutetiæ Parisiorum;  
 „Marcum Venetiæ; Mediolano  
 „Ambrosium; Augustæ Vindel: Hul-  
 „dericum commendarunt, &c b).  
 Ut nihil jam dicamus de templis,  
 Divis consecratis, atque Anathe-  
 matibus ad luxum & magnifi-  
 centiam suspensis. Quintum jam  
 locum sibi vindicat *Iconolatria*: sed  
 hujus & reliquorum, quæ huc  
 pertinent, explanationem, poste-  
 riori Dissertationis Nostræ parti, si  
 Deo visum fuerit, reservamus.

Jam

b) Cit. Prog. Prof. Gryph. B. Saal-  
 bachii edit. 1707. & Oratio Buch.

PAGANIZANTE. 25

Jam voto concludimus : Deum  
Optimum Max. devotis precibus  
invocantes , velit Ecclesiam suam  
tam ab aperta vi , quam clan-  
destinis machinationibus *Rome*  
*Paganizantis* perpetuo sartam  
te etiamque conservare.

F. J. N. J. S.



